
LANE
MEDICAL
LIBRARY
SEAL OF THE LELAND STANFORD JUNIOR UNIVERSITY
SEMPER VIRENS
1885

IN TEGUMENTIS SALUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE I. M. FEBRUARII A. MDCCCXXXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LUDOVICUS MERTENS

HAVELBERGENSIS

Contra adversarios

L. NATORP, med. et chir. Dr.

E. v. RUSSDORFF, med. Cand.

O. QUEHL, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRI

VIRO HONESTO.

Res animatae vivunt in elementis, quae cum benigne eas attingunt atque fovent, tum necessaria sunt ad vitam conservandam. Multa vero addita immixtaque sunt, quae obstant earum incremento. Quare natura suam cuique generi indolem ingenuit atque vim, qua et frui rebus salubribus et obstaculis possit resistere. Quo quidem magis utrumque simul impetratur, eo uberior ac firmior apparet vita. Quum enim corporis altera pars, ab externis remota, secura mutritione fruatur, altera commeatu fabricae occultae roborata illis resistere moliatur: duplici

praesidio res naturales domare sibique subiicere videtur. Sic planta radices molles materna humo abscondit, et in aërem apertum erigit truncum ramis foliisque ornatum; inferior succos trahit e terra, superior vigore potente radicibus impetrato cum aëre ac tempestate confligit, quo certamine crescit, floret, fructus edit. Animal autem radices intro versas suo ipsius corpore tuetur. Illic rami late diffugiunt, disperseque distendunt radices, hic iidem conformant magnas membranas, quarum altera alteram obvelat. Tractus enim intestinorum digestioni ac nutritioni tuto inservit, viscera spirabilia aëri patent animamque ducunt: utraque tamen membrana communi cute obtegitur, ut suam servet indolem. Cutis vero foris posita durior ac firmior esse potuit, neque eam necesse fuit apertam et nudam esse, quae anhelet et nutrimentum imbibat. Quod munus susceperunt membranae internae. Dum igitur stratum externum iis rebus utitur, quarum natura vitalibus viribus non solum obnoxia est, sed etiam superanda ab iis et in bonam partem vertenda, externum vero, fundo nutriente confirmatum, tutelae partes sustinet: mutua cura diuturnus valetudinis orbis perficitur. Itaque dirimitur quaestio, quonam modo nudum cum obtecto in uno eodemque corpore sit communicandum.

At integumentum illud ipsum, quod fabricam nutricem conservat, inanimatum esse videbitur, si tantummodo resistendo dicatum sit. Re vera simpliciores res animatae crudis integumentis utuntur, quae non percipiunt res externas, sed patiuntur, quaecunque accidunt. Ita arbores cortice rugoso indutae, cochleae, conchae, testudines propriis tegminibus obducuntur. Osteozoa autem duris partibus magis interne constructis molliora gerunt velamina, quibus res externae sentiri possint. Attamen cutis tam viva tutela nativa carere non potest. Quare eam testis munitam, squamis loricatam, plumis pilisque obsitam observamus. Sin vero ad illum integumentorum ordinem et ad hoc involucrorum genus respexeris: quo magis animal sit perfectum, eo magis crassa et cruda cedere tenuibus et teneris, eoque magis inter particulas tectas inveniri nudas, quibus extera percipiantur, minime te fugiet. Homo vero nudus nascitur, ut libere ac lubidinose rebus externis fruatur, eique ex ipso apta sint omnia. Rudimenta tantum illius formationis, cuticulam parvis parcisque pilis instructam, prae se fert. Ita quaecunque attingunt, facile percipiuntur, quin statim nervorum medulla, quae in finibus tamquam vigilat, infesto cuilibet insultui plane pateat. Denique epidermis ipsa sebo ex folliculis emisso inuncta

est, ne humores facile penetrent, neve siccitate exhauriente fiat dura, aspera, rimosa. Quid igitur natura fictrix sibi velit integumentis, et quas rationes ad ea conformanda ineat, obiter adumbrare volui. Maxime vero mea interest, monstrasse, quantum ea ad vitam tuendam valeant, quantoque studio natura incumbat ad praesidium illud confirmandum.

Ex vulnere recenti sanguis effluit, paullulum concrescit, adhaeret oris, ita ut hiatu impleto sistatur profluvium. Interea margines leniter inflexi ad fundum propius accedunt. Ita vulnus sanatur aptius. Calor animalis et aër exsiccant coagulum, quae quidem crusta arida iis, quae subter vivunt, integumentum tribuit, quod cutis loco interim fungatur. Sicuti arbores vere ineunte corticem veterem deiiciunt, sic vulnus suppuratione florente vel regenerata cute extrudit crustam, quae dura et aspera facta externo quidem est praesidio, fundum tamen ipsa laedit, nisi molli puris strato id prohibeatur. Natura enim liquoribus animalibus vitat ea, quae male accidant ad turbandam valetudinem, involvit crudum, vim adversariam frangit, defendit injurias, ne penetrent introrsum, ubi viget vita mollis. Si cochleam nudam attigisti, mucum effundit; cutis fricata vaporem exhalat sebumque

secernit uberius. Si eidem ambustione vel acribus irritamentum gravissimum iniecisti, liquor copiosius editur et sub cuticula haeret bullosa. Idem evenit in membranis mucosis, ubi mucus, saliva, succus gastricus, bilis et alia ejusmodi secreta ab ingestorum qualitate pendent, eoque magis, quo acriora et crudiora invadunt telam, atque ruinam minantur, ad aciem stimulumque hebetandum profluunt. Qui quidem concursus ulterius progreditur, prout eadem ita mitigata in succum et sanguinem verti potuerint. Deinde ad restituendas partes laesas vel fractas confluunt liquores, qui subveniant calamitati. Tantum vero abest, ut ejusmodi reactiones aegrae sint atque perversae, ut salubres et natura medicatrice inductae esse videantur. Is vero impetus vulgo nominatur inflammatio. Quam ob rem complures censuerunt, inflammationem non esse exstinguendam, sed curandam. Illud igitur sanguinis profluvium est extrema sanandi ratio, quae rudissima et coagulo formato fere mechanica possit haberi.

Deinde suppuratio crustam illam abjicit, abjectam supplet. Lympha enim pellucida, fines vitales egressa, e manu quasi naturae fictricis elabitur, atque exstincto animali igniculo in turbidam et purulentam materiam vertitur. Quam quidem suppurationem dicunt, ea est effusio

liquoris plastici, cujus tum fibrina cum summa carne coalescit, tum serum albuminosum modo elapsum coit, albescit, turbatur. Suppuratione et vitali et exanimata, fabrica invicem conservatur. Cum pus vivo foco est praesidio, tum focus pure tegente convalescit atque vim sese tuendi i. e. pus excernendi sustinet. Nam absterso pure floridissima caro flavescit, tabescit, emoritur. Penitus depurare carnem, nocere docent. Donec igitur regeneratio perfecta non est, ipsa quidem par nutriendo, tutelae autem inops, praesidium petit interim a pure, quod ad tempus conformet fundi crescentis integumentum. Habere vero eam aliquid, quo incursionem adversariam tributo quasi praeveniat, necesse est. Officina enim in vivi finibus operari cogitur. Sin vero fines proferat, novos veteribus insinuet. Materiam quidem formantem extra fines jam formatae atque perfectae necesse est egredi. Quid mirum, quod ea nudata detrimentum capiat. Quantum validissimum est et ipsi vivo proximum, tantum in orbem vitalem coalescendo advocari, quantum tenuissimum et extremum, tantum ab alienis externis perverti videtur. Quo fit, ut infra crescant fibrae, pus foris oriatur.

Ratio vero nutriendi est etiam regenerandi, quae revera non differt, nisi quod in nutriendo status formandi

par est usui, quae vivendi aequabilitas de integra valetudine nobis persuadet. Nam consumtio materiae conformatae nihil est, nisi extremus exitus ipsius rationis conformantis, eamque velut umbra subsequitur. Sic flamma materiarum se conjungendi studium renitet, et illa exstincta hoc satiatum esse videtur, ita ut species pariter excurrat cum actione. Sin vero fingendi nisus praestat consumptioni atque ruinae, crescere, evolvi, regenerari apparet, si contrarium accidit, languescere, tabescere, exstingui. Jam igitur videris, formandi et conterendi parem esse eandemque rationem nativam: quam ob rem, quae dissolutionem impediunt, eadem vitam ipsam servant atque augent. Etiamsi pus sit liquor sanguinis defunctus, propinquum tamen manet vitali fundo et optime tuetur parentem ab iis, quae foris aliena vagantur. Ipso vero sensim dissoluto et abalienato, novum repetendae effusionis oritur irritamentum. Denique caro summa turgore vitali languente aliquantum recedit et paulatim arescit, quod involucrum cuticulae partes interim sustinet.

Si abscessum immaturum temere incideris, nihil effluit puris, sed materia sanguinolenta, quae maturando fieri solet purulenta. Ergo pus non est specifici aliquid, neque a membrana quadam secernitur. Sin vero maturum ab-

scessum aperueris, pure effuso cavum oritur. Hunc defectum restituere studet febris, quae nihil est, nisi actio salutaris, febri vulnerariae simillima. Abscessu denique jam per longum tempus maturo, valetudo nihil turbata esse videtur. Hunc si patefeceris, puris magnum profluvium, febris hectica, tabes existit. Nudato vivo reactio prodit, studium explendi cavum apertum. Cavum enim parietibus ulcerosis cinctum aequat vulnus amplissimum. Propter hanc magnitudinem effusio liquoris est copiosa, tenuis vis plastica; majori ad idem efficiendum copia indiget tenuitas. Pus vero eodem modo tenuius non aptum est ad fabricam involvendam, et quo liquidius, eo facilius corrumpitur. Quae dissolutio, calore animali maturata, ipsum vivum pedetentim arrodit. Tot igitur et tanta concurrunt, quae aperto vivo ruinam minitentur. Unde cognoveris, quantum intersit, ut vivum non denudetur.

Jam vero consecuti sumus eas rationes, quibus natura medicatrix utitur, ad regenerationis officinas obtegendas. Eae autem, quas ad curandas eas corporis partes externas, quae morbo laborant, ars inire solet, referendae esse ad illas, et plurimae quidem nihil aliud, nisi adjumenta naturalis curae vel supplementa esse videntur.

Aetate media floruit vulnerum curandorum ratio, quae vulgo mirabilis ac superstitiosa erat. Vulnus enim recens marginibus appropinquatis velamine accurate induebatur; aegrotus autem admonebatur, ne solveret illud neve attingeret locum ante diem, ni fallor, septimum, quoad omnia sanata essent. Huic simplici cautelae atque conditioni vulgus, cui, unguentis et balsamis assuefacto, quo magis res inexplicabilis eo magis sacra videbatur, religioso animo prompte obediebant. Rei autem cardo in eo vertitur, ut coalescendi opus intactum maneat et tegatur contra ea, quae adversaria occurrere possint.

Sin vero nos vulnus simplex per primam intentionem sanare conamur, alteram alteri oram sive emplastris, seu suturis, sive alio modo, quo reunio efficiatur, accurate conjungimus. Ita, rima apte clausa, statim orae conglutinantur atque adhaerent sine suppuratione.

Rationes amputandi eae, quae lobos formant, truncum quidem osseum carnis toro munire, maxime tamen vulnus eodem integumento simul claudere student. Atque probatum scimus, abscondita quadam fingendi officina celeriter illud ac sine pure sanari. Quum enim eae aegrotationes, quarum causae toti corpori insident, reunionem nequaquam permittant, quo accuratius sint affixae, eo

melius concrescere partes, et ubi coaptatio fuerit inepta, pus oriri observamus. —

Si partes, quae contra legem modumque naturalem concreverunt, cultro scinduntur, iterum atque iterum coalescunt quam pertinacissime. Lobulo vero cutaneo rimae infixo, modus regenerandi terminatur. Sic hiatu inter digitos vel labia vulnerato formatio modum excedit, praesertim quum tepidi et vitales margines faveant luxuriae. Lobo vero arte interjecto, suppurationis focus plane submergitur.

Fracturas ossium docuit Larrey fasciis amylo glutinoso oblitis circumligandas esse, etiam eas, quae vulneribus coniunctae sint; vulnera ipsa ne ulla quidem cura egere, ac sua sponte sanari. Quum nuper de hac re disserentem quendam audivi, qui sententiam illam in suspicionem adducebat nescire se dicens, ubinam pus effluere possit: id quidem refellendum esse credidi. Nam interrogandum erit, num iis conditionibus tantum puris oriatur, ut effluxu opus sit. Cur enim non formatur pus in fractura simplici, quae proximas etiam telas molles laceravit et in suam ruinam rapuit? Cur igitur cute integra a vulnere illo interno abest suppuratio? Cute salva, liquor effusus alienis invasionibus non exanimatur, in ani-

mali tamquam sinu tepido procul ab omni periculo tutela materna fruitur. Sane vero infra quoque pus nascitur, si vis vitalis effuso liquori animam inflare et animatum servare non potest. Pus enim non suam ipsius rationem sequitur, sed est infaustus liquoris animalis exitus, non ipsum secernitur, emissa materia vitalis fit purulenta. Quum ne ullam quidem vulneris carnem sine pure crescere posse quidam docuerint, ubi effusio plastica i. e. nisus ad carnem formandam absit, ibidem etiam pus adesse non posse, dicendum potius erit. Nam, quae ex liquoris abundantia maxime est vitalis et ad formandum proclivis, adnascitur fundo vivo fibrina, serum autem liquidum elabitur ad mortem pronum. Non tamen admirationem reticeamus naturae medicatricis, quae exstinctam materiam, seu coagulum, sive pus, in bonam vertat partem, et quae sint vivo ipso abalienata, in eventum saltem faustum sibi servet. Quamvis pus quemadmodum tegendi usum habere sola meditatione concluderim: interea ea tamen, quae Vogel nuper observavit, sententiis meis non adversaria esse cognovi. Idem enim censet, corpuscula puris in membranis mucosis eum habere finem, ut, sicuti cellulae epithelium integrae membranae mucosae, ita conserta corpuscula puris tamquam cuticulam suppu-

rantis membranae conforment. Quod quidem ea observatione probare nititur, ab ulceribus interdum puris corpusculorum loco genuinas epithelii cellulas vel formationes his aut illis propinquas secerni. Atque hac de re persuasum habeo, liquoribus plasticis, qui quasi e naturae fictricis manu elapsuri sint, extremam saltem formam vitalem imprimi itaque epithelii elementa conformari posse. Illae igitur fasciae officinam tegunt, ita ut, quae non concrescunt, salva et vitalia in orbem animalem redire possint. Quae quidem via eadem cum apud fracturas simplices, in quibus cutis integra est, tum sub crusta, quae vulneribus adhaeret et regenerato defectu a cicatrice decidit, iniri solet. Illa denique ratio a Larrey commendata fracturas vulneratas in simplices mutare videtur.

Injuriae, quae vitalem fundum impetu infesto extinguunt atque ex ipso exstincto conformant integumentum, regenerandi vim adiuvant, ut ferrum candens et argentum nitricum. Utrumque ardore delet ea, quae degenerata sunt, vel aberrant a ratione sana. Extincto enim foco fabricae perversae, ad simplex vulnus reducitur malum. Ferrum tamen torret, quae attingit, et crustam facit, sub qua vita calore penetrante salubriter excitatur et integumento impermeabili tuta augescit. Idem efficit lapis infer-

nalis: sub ruina enim lethali rubra caro efflorescit. Attamen ferri candentis vi atque impetu vehementi caret, et quod non parvi faciendum est, aqua solutus asperis locis arcte adaptari potest. Itaque illud cauterii genus crustam relinquit, hoc quodammodo cuticulam. Inde lapis infernalis in ambustionibus curandis probatur, qui epidermidem avulsam artificiali illa cuticula restituat. Quid vero in ulceribus sibi velit, ex illis, quae supra in universum dicta sunt, colligere facile poteris. Deinde arsenicum radicitus erodit carcinoma. At mihi maximi momenti illud videtur esse, quod ipsae illae arsenicum adhibendi rationes, quae maxime probatae sunt, efficiunt crustam, quae fundum rasum obtegendo arceat a novo fermento. Si contra spectaveris, quam vehementer Kali vel Stibium materiam animalem dissolvant, radicitusque destruant, concedere te oportebit, huic dissolutioni nihil inesse salutare. Quae quidem corrupta sunt atque dilapsa, ipsa denuo adgrediuntur vivum, eodemque arroso ulcerationem pessimam incendunt, neque modum statuunt ruinae.

Jam de emplastris agamus. Quae maximam tegendo afferre salutem, eoque majorem, quo minus permeabilia sint, probatum est. Quamquam jam ante nostram me-

moriam eorum utilitas cognita erat, in massae tamen genere eam ponendam esse crediderunt. Quare quaelibet substantiae iis immiscebantur, quas conditionibus quibusdam pulcherrime convenire opinabantur. Sed usus docuit eam legem, ut, quo plus materiarum commisceatur emplastris, et quo magis mixtura potestatem adhaesivam et impermeabilitatem amittat, eo minus iis insit, quam spectent, salutis. Ipsa quidem, qualiacunque sunt, irritamentum afferunt. Adeo mitissimo genere cutem rubore suffundi, saepius observamus. Nam omnia sunt aliena vitae, magis igitur internae, quae in ulcere est nudata. Reactio fit, movetur suppuratio, ex qua caro et pus prodit. Pus quidem stratum molle irritamento objicit; emplastrum servat pus suffusum, ne defluat a carne tenerrima, neve aëre facilius dissolvatur. Novo quoque integumento incitatur novum irritamentum et conamen stimulum abiiciendi. Pure interposito et irritamento sublato simplex regerandi ratio initur. Ubi igitur cutis perdita est, ut in ulceribus, ejus partes puris subsidio emplastra sustinent. Unguenta simplicia sunt prope ejusdem efficaciae. Etiamsi vero unguenta iis, quae admixta sunt, et balsami aetherea vel resinosa natura, quominus pus dissolvatur, impediant, itaque bene servatum tueantur: spe-

cificum tamen quoddam salutare iis inesse, vix crediderim. Ubi vero aegrota est cutis, aegritudo autem alitur labore, quo rebus externis satisfacere studet: cutaneum munus quasi publicum suscipiunt emplastra, ut privata illa sibi et domesticis rebus indulgere possit; proinde in indurationibus cutaneis salubria esse videntur. Quum vis vitalis ea ratione augeatur, etiam profundius penetrat effectus, qui probatur telae subcutaneae indurationibus et corruptionibus, tumoribus, exsudationibus, aliis ejusmodi. Quae enim actione sanguinea et nervea aucta nominatur resorptio, nihil est nisi species vitae uberioris, quae pauperem et depravatam conditionem non patitur. Talis denique videtur efficacia emplastrorum, ex quibus nominaverim: mercuriale, ammoniaci, velamen stupeum cum colophonio paratum, etc. Ejusdem prope generis est linteum vel sericum ceratum, quod rheumaticis partibus induitur. Namque tam arcte et stricte tegit, ut quasi halitum cutaneum intercludat. Nisus oritur repellendi. Calor et vapores continentur sub involucro. Vi vitali aucta morbus aufertur.

Ex illo transitus aperitur ad alium ordinem integumentorum, quae leniora et molliora sunt, neque cuti adhaerent. Ex iis proferam farinam, herbas siccas, pelles,

lanam. Quamquam tegunt membrum et defendunt ab iis, quae foris accedere tentant, tamen neque claudunt neque oblinunt poros cutaneos, quibus materiae quaedam exhalari debent. Quid eveniet, si emplastrum cuti affixeris inflammatae? Irritabis vehementer locum urentem et dolori acerbo novum addes stimulum. Quid? si in cutis partem criticum quoddam conamen, sive erysipelatosum, sive exanthematicum, sive arthriticum, irruerit et cutis quasi gravida morbum editura sit, viae vero emplastro claudantur? Si contra eisdem sub conditionibus nihil tegumenti imposueris, solito aëre aegrotae parti adversante canaliculi exhalantes sese claudendo invasionem arcent, quod dicunt spasmo fieri. Crisis subsistit, recessus ad viscera timendus est. At vero medium tenemus. Cum quidem' non nudamus locum, qui morbo laborat, tum iis, quae spirabiles vias non obstruunt, tegminibus usi nisum criticum nullo modo offendimus. Sic ancipite cautela videmus, ne actio salubris quid detrimenti capiat. Quod vero de singulari loco valet, idem de toto corpore, quo vestitus noster spectat. Est enim certum, corpora nimis aeque ac parum tecta secretiones cutaneas retinere, quas quidem cum perpetuo discrimine salutari conferre licet. Sicut vero aëris temperatura transpirationem mutat, ita vestibus eam moderare solemus.

Cuticula abscissa bullas si aperuisti, dolor acerbus urit per nervorum medullam nudatam. Dolor est laesae vitae atque impeditae species. Cuticula servata lenit dolorem, quae, etiamsi non amplius cohaereat cum vivo, manet tamen integumentum. Quo quidem aptius tegit, eo minus exsistit ulcerationis periculum. Epidermide comburendo avulsa, nostra interest, ut arte effingatur. Cauterio infernali cuticulam formari supra commemoravimus. Etiam gossypii stratum imponitur loco nudato: mollis lanugo imbibit lympham, quae paulatim exsiccata imitatur epidermidem. Vel farina ulceri adspergitur, quae liquore satiata materia fit glutinosa, atque carnem molliter tegit, dum extrema pars arescit. Deinde pulticularem massam adhibemus, quae statim ad illam conditionem prompta est. Tum oleosis rebus apertam partem velamus, vel unguento, quod notum est, Stahliano. Manus denique ambustae ovorum albumini cum vitello mixto vulgo immerguntur. Omnia ex tegendi ratione salubria. Intertrigini inspergi solet pulvis, ut farina, lignum exesum, semina lycopodii, linamentum rasum, quae animali liquore conglutinantur. Ulceribus madidis, pulvis carbonis, chamomillae, Calami, Chinae, aliarum ejusmodi rerum cum a dissolutione lympham effusam et pus arcet, tum his bene servatis perfusus

fingit tegumentum. At in illis morbis, qui cuticulam diruunt, maxime cutaneis, partes ulcerosas decocto avenaceo lavare, vel balneo furfuraceo fovere, prodest. Ita quidem, tota cute ad secretionem emollita, materia peccans per ejus latitudinem extenuatur et lenitur, ut copia singulis particulis non sit detrimento, quo ulcuscula, pustulae, papulae, vesiculae, alia appareant. Etiam ad purgandum salubria esse, refutari non potest. Majoris tamen momenti mihi videtur, ut farinosi aliquid usquequaque illis ipsis adhaereat, quod cuticulam tenuem relinquat. Illo enim usu ulcerosas partes exsiccari, inter omnes constat. Quod ita explicari placet, ut profusionem serosam, reactionis contra insultum externum adversarium indicium, sedari vel potius supervacaneam reddi dicam, quum, quod actio petat, molle velamen consequatur. Simile quiddam accidit, si ad sanguinis profluvium sistendum boletus igniarius, linteum ustum, lanugo linea, colophonium, gummi mimosae adhibentur, quae vel sua sponte, vel sanguine perfusa conglutinantur. Ita vulnere claudendo omnia haec nihil aliud videntur esse, nisi adjumenta naturalis studii ex coagulo fingendi tegumentum. Illa autem potestas, quae dolorem mitigat, est quae laesionem minuit, quare eo major est, quo animali vitae propinquior

materia et quo magis effusam lympham sive claram sive in pus mutatam a dissolutione tuetur. Illis vero rebus eae quoque addi possunt, quae mucosis membranis vel irritatis vel ulcerosis admoventur ad involvendum et sedandum. De medicaminibus loquor, quae sunt farinosa, mucilaginosa, albuminosa, emulsiva, oleosa. Horum internus usus cum externo illo comparari potest.

Jam ad integumenta humida progressi sumus, quorum usitatissima sunt cataplasmata. Quippe quae tepida cum aëris arcent vim exsiccantem, frigus, acrimoniam, tum calorem insitum augent, quo quidem temperatiore nihil magis actionibus vitalibus faveat. Nam in apertum vis vitalis, spasmo cohibita, proruere non periclitatur: nec vigente nisu formativo, nec abjecta lympha, deest suppuratio. Irritatae partes sanguine impletae dolent, turgent, urunt, rubescunt, stagnando livescunt. Calor tepidus, humidus, mollis viis reclusis retentum studium elicit: dolor lenitur, effunditur turgor, stagnatio submovetur, abundantia emittitur, suppuratio fit florente infra nisu formativo. Sic etiam cataplasmata maturant abscessus: evocant vitam profundam, cutem emolliunt, mollem patefaciunt. Nec minus, quam resorptionem dicunt, vim actionum augent. Variis igitur rationibus satisfacere videntur, dum quod-

cunque naturae conamen conservant et adjuvant. Quum vero naturae studia plerumque et fortasse semper curent salutem, cataplasmata tepida enixe commendanda esse, maxime probatur. Etiamsi fomenta non eadem polleant efficacia, quia liquidiora sunt, neque calorem per longum tempus continent: eidem tamen consilio respondent.

Integumenta vero tepida morbos vigentes in discrimen deducere, deductos in loco critico tenere, jam commemoratum est. Ubi pugnatur, in ruinam trahitur locus. Ita res se habet in morbis, qui per totum corpus serpunt et quorum materia ad loca vel unum vel singula propellitur. Nascuntur abscessus, ulcera, pustulae, bullae, vesiculae. Partem autem morbo universali laborantem quo magis fovemus: eo aptior fit ac promptior ad excernendum, eo magis concursus criticus ad viam commodam deducitur, eo magis pars ipsa in discrimen datur. Si igitur damnum partiale pro communi, quam affert, salubritate non dignum esse, quod spectetur, et externa crisis minus anceps, quam ad viscera incumbens, videtur: salubre conamen fotu externo et locali est tuendum. Si contra partem servare juvat nobiliorem, non obsequimur discrimini locali, sed universum provocamus. Quid? si perspiratione cutanea oppressa erysipelas efflorescit, num tepido cataplas-

mate id curabis? Allicies sane impetum criticum ad perniciem usque localem purulentam. Pars enim minor est neque accommodata ad compensandam corporis aegritudinem. Cunctamur ideo in curanda parte, universas membranas, quae totius corporis conditionibus conveniunt, ad discrimen sustentandum arte excitamus.

At frigida fomenta et cataplasmata impugnant vivum. Quare, ubi vita praeceps minatur perniciem, ardorem mitigant et ad valetudinem adducunt. Aër quidem frigidus temperaturam suam quocunque cum corpore parum communicat, satis tamen cum vivo, ut infestetur. Huic tamen tantum potentiae plerumque superest, quo incursioni resistere possit. Quae reactio saepius superata subinde recurrit, ut per intervalla tum frigus tum calor sit superior. Alio modo fomenta vel cataplasmata frigida agunt. Ea enim minoris frigoris esse possunt, quod temperet ardorem vitalem, quia fluidum quodlibet melius suam ad alia transfert temperaturam. Quamvis hoc frigus mitius sit, tamen magis refrigerat ardorem minore irritamento. Frigus quidem a principio non sedat, sed irritat. Quo stimulo saepius repulso, agendi vis retardatur, sentiendi hebetatur. Turgor labitur, mitigatur dolor. Ubi igitur conamen na-

turae praeceps est, vel propensum ad inflammationem, frigida illa integumenta cum fructu sunt adhibenda.

Haec hactenus. — Rem non parvi momenti paucis percurri, neque indignam, quae ab eo, qui multa viderit et magna cognoverit, penitus exhauriatur. Eam tamen vel obiter attigisse juvabit. Sin vero quisquam mihi exprobret, naturam me nimis admirari et colere totamque illam artis rationem et fictrici et medicatrici ei propemodum subjecisse: hoc sane peccatum libenter confitear. Atque isti, cui auctoritas aliqua multum valeat, sententia quadam respondebo, quam edidit ingeniosus ille Paracelsus: naturam esse medicatricem; qui vero opinetur, sese esse qui medeatur, eum et se ipsum et artem suam ignorare.

VITA.

Christoph. Aug. Ludov. Mertens, evangelicae formulae addictus, natus sum Havelbergae XVII. Octobr. anni MDCCCXII, patre Joanne Petro Mertens, nauta. Puer quatuordecim annorum gymnasium Stendaliense adii, ex quibus sex annorum studiis testimonio primo munitus universitatem petii Berolinensem. Rectore Weiss numero civium academicorum adscriptus, per annum doctrinis theologicis interfui. Interea philosophorum et medicorum auditoria hospes frequen-

taveram, neque mirum videatur, quod animus rerum et ingeniorum suavitate captus ab hisce partibus stare voluerit. Quo factum est, ut ad medicorum ordinem transiverim. Inde 'ab hoc tempore et Berolini, et Gryphisvaldiae, et Halae operam impendi ad studium medicinae. Atque doctores mihi fuerunt ac moderatores studiorum viri, quos disserentes audivi, illustrissimi: ab Henning et de logica et de metaphysice; H. Schultz cum de historia naturali, tum de botanice; Mitscherlich de chemia experimentali; Schlemm de osteologia; Mueller de anatomia et universa et comparata; Mitscherlich de materia medica; Hufeland de semiotice; Berndt de pathologia et therapia cum generali tum speciali; A. Schulze de physiologia; Rust de chirurgia; Froriep de akiurgia; Blasius de fracturis et luxationibus, de arte fascias applicandi, de operationibus ophthalmiatricis; Busch de arte obstetricia.

Artem cadaverum rite dissecandorum me docuerunt Ill. Müller et Schlemm.

Scholis deinde interfui et medicis et chirurgicis et obtetriciis Berolini rectoribus Ill. Wolff, Barez, Rust; Dieffenbach; Halae Ill. Krukenberg, Blasius, Niemeyer.

Quibus quidem viris praestantissimis tantas ago gratias, quantas de me meruerunt.

Nunc vero cum tentaminibus et philosophico et medicis, tum examine rigoroso rite superatis spero, fore ut dissertatione et thesibus publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Abdominis viscera et intestina, quaecunque sunt, jacent extra peritonaeum.

2. Inflammationis cujusvis non est sola aegritudo: sed etiam vis medicatrix ad aegritudinis salutem concurrit.

3. Suppuratio est naturae fictricis: tantum est puris, quantum quasi ex ejus manu elabitur.

4. Amputatio artuum, quorum morbus e toto corpore serpit, bono jure cavetur. At vero ex alterantibus est gravissimum.

5. Valere aude, valebis.